

I. N. I. C. C.

V I R O S,

quos

X 2316883

Ob eruditionis excellentiam & me-
ritorum in Ecclesiam & Rempu-
blicam præstantiam

merito

IMMORTALITATIS AC GLORIÆ
CANDIDATOS

dixero,

VENERABILES CHORI AC
FORI ANTISTITES,
DOMINOS

INSPECTORES

ac Scholæ

FAUTORES OMNES,

ut

Tres Academiæ Candidatos,
qui altiora tractent, dignos,

Job. Christianum Ay rerum, Dreſdenſ.
Samuelem Sontagium, Pfaffenh. Miſn. &
Job. Georg. Dü ckertum, Wahrenbr. Sax.

d. XII. Calend. Maji Vale ultimum

H. L. Q. C. dicturos

benevole aufcultent;

ea, qua pareſt, veneratione,

rogat ac obſecrat

M. DANIEL MÜLLERUS, Reſt. Schol. Chemn.

CHEMNICII, Literis Sæſſelianis, A. MDCCXVI.





* *
Andidatos quosdam Academiae, quorum candida apud nos fuit vita, honeste dimissurus de *Candidatis veterum Romanorum* pauca, praefationis loco, commentari animum induxi. Tameñ vero Candidatus, uti ex ipsa voce perspectu est facillimum, proprie is erat, qui candidam indutus vestem incedebat, siquidem & prisca illi impura religione religiosi, ad animi, quam praese ferebant, puritatem indicandam, candidati (a) vel albatii (b), i. e. candidis vel albis vestibus amicti, Deo-

rum delubra adibant; attamen apud antiquos Romanos candidatorum vocem certo fere hominum generi vindicabat usus, ille vocabulorum tyrannus. *Candidati* scilicet salutabantur, qui vel consulatum, vel praetoriam, vel aedilitatem vel aliud magistratus officium petebant, quos *Svetonius* appellavit (c) *candidatos petitores*, ubi *petitoris* voci, quam ex margine irrepisse censet *Torrentius*, *Casaubonus* plane expungit, hunc locum docte asserit *Job. Fridericus Gronovius* (d). Hi petitores prae aliis κατ' ἐξοχὴν candidati dicti, a candida, qua ornati honores, consuetudine ita ferente, ambiebant, veste, quae ab alba non nihil differre olim credebatur. Namque quod album audit, a natura, quod candidum, ab arte erat. Non ergo alba toga, non insito lanae colore, contenti erant candidati, sed cretam (unde ambitio illorum *cretata* dicta fuit (d) *Persia*) addebant in vestem, ut candesceret, imo splenderet (f): quares cum nimiam vel vanitatem vel honorum famem argeret, Tribuni plebis, ut *Livius* auctor est (g), legem aliquando promulgarunt, *ne cui album* (i. e. cretam) *in vestimentum addere, petitionis causa, liceret*. In candida ejusmodi *Scipionem*, dum admodum juvenis aedilitatis provinciam desiderat, reperimus veste, quam non λευκὴν, sed λευκῆσαν ἐδύηται, *Scipionis Praeceptor ac comes asfiduus, Polybius* (h) vocavit: quin & ipse *Cicero*, consulatum petiturus, toga candida circumdatus coram frequente Senatu Orationem habuit (i). Quae causa moverit candidatos, ut candidum in vestitu colorem aliis praeposuerint, non constare liquido videtur. Fortasse, qui primam causam arbitrium voluntatemque petentium, secundam aemulationem ac consuetudinem fuisse diceret, a vero haud aberraret. Sunt tamen, qui alias comminiscuntur rationes, candidasque vestes arrisisse maxime candidatis credunt, *vel quod candidi ac integri haberi vellent, vel quod isto habitu pollicerentur, se candidè in administratione numerum, quae ambiebant, versaturos esse, vel ut notabili vestitu ab aliis dignoscerentur* (k). In mores Candidatorum si considerationem paulisper intendere juvat, istud primum memoratum non videtur indignum, homines gentiles, velut omnium rerum agendarum initium a precationibus capere consueverant, quod nihil rite nihilque providenter homines, sine Deorum immortalium ope, consilio, honore, auspiciari (l) crederent, non sine auspiciis, et, quam praetendebant, religionis, honores concupivisse. Candidati enim, uti testatur *Dionysius Halicarnassensis*, (qui illos non ineleganter περιφράζει (m) per τὸς τὰς ἀρχαίς μίλλοντας λαουθάνων) ex tentoriis sub crepusculum matutinum prodeuntes, preces quasdam sub dio pronuntiabant: ubi aliqui ex auguribus, qui aere publico conducti ad ejusmodi negotium adhibebantur, fulguris signum a sinistris datum aiebant, etiamsi nullum esset datum, quo factu illi, auguris voce freti, ad capeendum magistratum abibant. Quo vero? Haud dubie in campum Martium, ubi comitia, distribuendorum honorum causa, habebantur, qua de re *Macrobius* (n): *Candidatis etiam usus fuit in comitium mundanis venire, & in colle consistere, ut coram possent ab universis videri*. Profitebantur etiam, & quidem ante Comitiorum diem, nomen suum apud magistratum, qui comitiis praerat, candidati propterea *professi* nuncupati (o). Neque hoc oblivione obliterandum, quod illi ad comitia sine toga descen-

(a) Plautus in *Rud. Act. I. Sc. V. v. 12.* (b) *Persius Sat. II. v. 49.* (c) in *Augusto c. 10.* (d) *Observationum libro II. p. 416. seq.* (e) *Sat. V. v. 177.* (f) *Vide Lipsium lib. I. Electorum c. 13. p. 75.* (g) *Lib. IV. Hist. Rom. c. 25. p. m. 159.* (h) *Lib. X. historiarum p. 305. edit. Gronov.* (i) teste *Lad. Coslio Rhodigino Lect. Ant. I. 14. c. 16. p. 761.* (k) *Has causas allegat Matthias Martinus in Lex. Etym. sub voce Candidatus.* (l) *cecu loquitur Plinius in Paneg. c. 1.* (m) *Lib. II. Antiq. Rom. c. 61. p. 81.* (n) *Lib. I. Saturnaliorum c. 16. p. m. 259.* (o) *Dicimus hoc ex iplo Cicrone, & ejus Orat. pro Cn. Plancio Val. II. Or. ed. Freig. p. 660. ut & ex nota Freigii p. 668.*

descenderint, ne pecuniis in sinu reconditis tribuum suffragia mereantur (p). Quae circumspectio fortasse tunc non neglecta, cum honores his, qui in promerendis illis diligentissimi fuerant, sunt dati. Nam postea, cum Romae nobiliorum animos inexplebilis honorum fitis vexare coepisset, hiantesque populi cupiditates Candidatorum pecuniae, cui omnia obediunt, imminerent, alia prorsus incedebatur via, & nec titulis, nec blanditiis, nec donis parcebatur. Non sufficiebat Candidatis, praesente Senatu in comitiis vitam suam belli domique actam, sua in singulos ac universos merita, majorum item praecleara facta, luculenta oratione exponere, id quod, bonis moribus nondum lapsis, honeste factum fuerat (q); sed consultum potius ducebatur, imperitam plebem variis oppugnare cuniculis. Nam obvios quosvis (quorum suffragia hoc ipso aucupabantur) byssinis compellabant verbis, ignotos, non secus ac si notissimi amicisimique forent, suo affabantur nomine, unde & ministro erat opus, qui singulorum suggereret nomina, quem *nomenclatorem* (r), vel *monitorem*, sique *Festum* audias, *factorem* dixere. Seniores, si qui occurrebant, nominarunt *patres*, juniores *fratres*, alios *patronos*, quod adulationis genus exagitat *Horatius*, dum canit (s):

*Frater, pater, adde,
Ut cuique est aetas, ita quemque factus adopta.*

Præfabant quoque singulorum manus, easque osculis, *Seneca* teste (t), ferre contrebant, populo vel ipsi, vel per alios, qui *Suffragatorum* (u) nomen accepere, demisse ac abjecte supplicabant, pecuniaque data suffragia emendicabant, quibus largitionibus non raro exhauriebantur penitus, atque ad incitias redigebantur. Usque adeo effrenis hinc invaluerat licentia, ut aperte pretio corrumpere alios ne turpe quidem putaretur. Qua de re *Freigius* (x): *Postremis temporibus consuetudo obtinuit, ut a candidatis praesenti pecunia populi suffragia emerentur, ad eamque rem ministri adhiberentur, nempe interpres, sequestres et divisores. Interpretes erant, per quos pactio inducebatur: sequestres, apud quos pecunia deponebatur: divisores, qui singulis nummos distribuiebant.* His artibus deliniebant, his rebus illaqueabant mentes populi homines gloriae magis avidi, quam capaces: qui, renunciati tandem designatique, antequam inirent magistratum, *solemne carmen precationis praefati, celebri oratione populo universo gratias agebant, eumque honorificentissimis verbis alloquebantur* (y). De hisce *Candidatis* petitoribus plura addere in proclivi esset; sed alii etiam, tribus, quod ajunt, verbis sunt tangendi. Candidatos nimirum, qui eloquentiam in foro auspiciabantur, ob candidam, qua induebantur, togam, dictos novimus, ad quos *Candidatos Principis*, qui solis Principis libris & epistolis in Senatu legendis vacabant, referre liceat. *Vegetius* (z) per Candidatos intelligit, milites principales, qui privilegiis muniuntur; quanquam omnes in universum milites Romani Candidatorum nomine nonnunquam venerunt, quod in praesentiam ituri aut pugnaturi album paludamentum, aut purpureum, *Valerio Maximo* (aa) attestante, induere solerent. Quid? quod, iudice *Rhodigino* (bb), hunc, qui rem quampiam toto affectat pede, ac omnibus, ut ajunt, cunctis, ejus item rei eleganter *Candidatum* dicimus. Sic *Plinius*, qui Consularum sperat, *Candidatum Consularum*, idem *Trajanum*, immortalis memoria dignum Principem, *Candidatum immortalitatis & gloriae* (cc), *Hieronymus* Catechumenos *Candidatos fidei*, *Svetonius* Icelum libertum *Candidatum gradus equestris*, *Tertullianus* homines probos Deoque fidos *Candidatos beatæ vitæ*, idem praefractus & duræ cervicis peccatores *Candidatos diaboli*, *Apulejus* hominem, qui ut crucem meritus est, ita in eam mox elevari debet, *Candidatum crucis*, *Quintilianus* in Rhetorum praeceptis discendis & exercendis occupatum *Candidatum eloquentiæ* etc. nominavit. Missis vero his omnibus candidatis, ad tres *Academiae Candidatos*, quorum gratia haec scriptio suscepta, me convertito, eosque appello: *Ite, ô mei, Deo duce,*

(p) Vid. Alex. ab Al. lib. 3. *Dier. Gen.* c. 18. p. 153. b. (q) Vide eundem Alex. ab Al. l. 4. c. 3. p. 182. (r) *Nomenclatoris* ipse *Cicero* mentionem facit in *Orat. pro Muraena*, Vol. II. *Or.* p. 399. (s) *Lib. I. Epist. 6. v. 54.* (t) *Epist. 118.* (u) in *Orat. pro Muraena* c. 7. (x) in *Not. ad Orat. Cicero. pro A. Cluentio* p. 91. Confer, si placet, *Hoffmanni Lexicon Univ. T. II. p. 343.* (y) *Teste Alex. ab Alex. l. 4. Dier. Gen. c. 3. p. 182. b.* (z) *Lib. I. Rei milit. (aa) Lib. I. c. 6. §. 11. p. m. 24. (bb) loc. cit. p. 762. (cc) in Paneg. c. 95. p. 427. & c. 63. p. 317. edit. Baud.*

EX II 1990
duce, digni, quos Academia doceat, Candidati. Romanorum Candidati, si boni ac optimi dici poterant, maxime erant commendabiles (dd). Candidati nostri Scholae bonis vel optimis potius alumnis annumerari jure suo huc usque debuerunt. Neque enim pietatem suam, neque industriam, neque modestiam passim sunt desiderari. Quod si, judice Plinio (ee), nihil magis prodest Candidato ad sequentes honores, quam peractus optime magistratus, Patroni quaeso Candidatis vitam Scholasticam optime transactam prodesse jubeant, non ad sumptus tantum, quos Academia poscit, tolerandos, sed & olim ad honores, quos merebuntur, consequendos. At quinam sunt illi laude tanta digni Candidati? Primus eorum est

Johannes Christianus Ayererus, Dresdensis,

Juvenis, quem per octo hosce annos, quibus in aedibus Patru Optimi liberaliter sustentatus, ac in Lyceo nostro bonis literis institutus fuit, ob ingenium, quo pollet, praestantiam, ob inexhaustum discendi fervorem, ob modestam obedientiam Magistris nullo non tempore approbatam, impense dilexi; dignus, si quis alius, cujus progressum in studiis, quorum praeclarum & solidum jecit fundamentum, consilio auxilioque adjuvent Patroni, ut ab egestate, quam patitur, minus impeditus, egregiam sui, quam concitavit, expectationem impleat, atque inter claros literati orbis Viros olim numeretur. Ante discessum, ut saepius ad dicendum variis linguis surrexit, Orationem latinam de Georgio Ludovico Potentissimo Britanniae Rege, in qua Hengistus, Saxonum quondam & Britorum Rex ut illi simillimus, Jacobus vero simulatus Walliae Princeps ut dissimillimus exhibetur, recitabit.

Secundus est

Samuel Sontagius, Pfaffenhaynensis Milnic.

Qui per septem annorum spatium huic nostro Lyceo interfuit, & sic interfuit, ut Deum rite coleret, in studiis literarum strenue, nec infelicitate occuparetur, pravorum consortium sanguine viperino cautius vitaret, in iisque diligenter elaboraret artibus, quibus laudes comparantur: id quod me ante hoc biennium commovebat, ut eundem liberis meis domesticum praeceptorem praeficerem, cui officio etiam ita sollicitate fatisceret, ut eundem non aliis tantum, qui & suos ipsi concedere non dubitabant, de meliori merito commendem, sed & quicquid ipsi beneficii tribueretur, in me simul collatum iri, profitear. Abiturus septem Sapientibus Graeciae titulum Sapientum jure non competere, Orat. latina probabit. Tertius his duobus accedit

Joh. Georgius Dückertus, Wahrenbr. Saxo,

qui per sex circiter annos apud nos haesit, & ut commilitonibus, quos laudavi, non absimilis evaderet, omni animi contentione laboravit. Semper enim bonarum artium & bonarum partium studiosus fuit, nec occasionem de se conquerendi ulli suppeditavit: sua potius probitate & industria Viros aliquot urbis nostrae primores, beneficentiae laude conspicuos, compulsi, ut egei misericordia caperentur, singulisque ei hebdomadibus mensam suam sterni juberent, ac probe saturatum ad studia recte persequenda dimitterent. Jam Deo confidens, ac Viremburgae benefica fidera, qualia hic sentis, expectans, discessum parat, dicturus breviter Orat. Lat. de albis Christianorum & gentilium vestibus. Tribus hisce Candidatis, qui versibus Germanicis vale ultimum urbi & Scholae dicent, optima quaeque Juvenis alacris & vividi ingenii

Gottlieb Uhlichius, Chemnicensis,

apprecabitur, praefatus nonnulla de numero ternario. Nunc vestram, Patroni ac Fautores, honorificam peto praesentiam, & sic peto, tanquam Caesaris Candidatus. Ipsi Candidati nostri, mores Candidatorum imitaturi, manus vestras exosculari, & gratias decentissimas Vobis agere non verebuntur; & sicut olim Candidati aes alienum profireri necesse habebant, ne nimis illo aggravati vel oppressi honores capefferent: ita nostri semper, se in aere vestro esse, grati fatebuntur.

(dd) Vide Laurentii Polymachiam, Dissertatione 28. p. 56. (ee) In Panegyrico c. 70.

mc

de Candidatis vetum Romanor.

F.H. 134.
53

II c
1290

I. N. I. C. C.

V I R O S,

X 2316883

quos

Ob eruditionis excellentiam & me-
ritorum in Ecclesiam & Rempu-
blicam præstantiam

merito

IMMORTALITATIS AC GLORIÆ
CANDIDATOS

dixero,

BILES CHORI AC
ANTISTITES,
OMINOS
ECTORES

ac Scholæ

ORES OMNES,

ut

Academiae Candidatos,
qui altiora tractent, dignos,

*anum Ayrerum, Dreldenf.
Sontagium, Pfaffenh. Misn. &
Dückertum, Wahrenbr. Sax,*

Calend. Maji Vale ultimum

H. L. Q. C. dicturos
benevole aufcultent;

ua pareft, veneratione,
rogat ac obfecrat

ÜLLERUS, Rect. Schol. Chemn.

II, Literis Stæffelianis, A. MDCCXVI.

